



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

Liber I. Quo recensentur, quæ hanc præcisè in rem extant in Instrumento
veteri, & Evangeliiis. Locis quibusdam difficilioribus subjicitur expositio D.
Augustini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

HISTORIÆ THEOLOGICÆ DOGMATUM ET OPINIONUM,

DE

DIVINA GRATIA, LIBERO ARBITRIO, ET PRÆDESTINATIONE,
PRIMIS QUINQUE ECCLESIAE SÆCULIS RECEPTARUM,

LIBER I.

Quo recensentur, quæ hanc præcisè in rem extant in Testamento Veteri, & Evangelii. Locis quibusdam difficilioribus expositio Divi Augustini subjicitur.

QUÆSTIONES de gratiâ, de libertate arbitrii, & de prædestinatione, præcisè temporibus non in hac solum vel illâ provinciâ exarsere, ut aliæ quàm plurimæ: sed Europam, Africam, atque Asiam occuparunt. Neque unâ duntaxat, alterâve ætate agitatae fuerunt, ac deinde rursus, uti tot aliis evenit, sopitæ, sed pullulantibus jamtum in ipso fidei exordio dubiis, continuatisque postmodum disceptationibus, quinto demum sæculo gravius multò, quàm ante exarserunt controversiæ, quæ & novo interdum subjecto fomite denuo fuerunt accensæ. Gratissimum proinde omnibus, maximeque proficuum accidere deberet antiqua reperire dogmata per annorum feriem digesta, earumque sibi rerum propinari videre notitiam, quæ primis Christianorum sæculis hoc in argumento doctæ fuerunt, & creditæ; notitiam, inquam, sinceram, solidam, securam, quæque ex iis, quæ Sacris in Literis continentur, suum ducit initium.

Scopus hujus historiæ.

EXTRA dubium est, posse inde deduci normam infallibilem ad veritatem, & errorem tutò inter se disjungenda: siquidem, cum ad ea, quæ religionis, & dogmatis summam spectant, accessio admittatur nulla, traditio primorum sæculorum indubitatae instar regulæ nobis sit oportet; idque vel eo magis ex capite, quod ipsissimo illo, quo volumen hoc circumscribitur, temporis spatio celebriores ex Sanctis Patribus floruerint, ii nempe, qui Catholici dogmatis canales fuerunt & ampliores, & defæciores; ii porro, ex quorum fontibus Ecclesia posteriore ævo Divinorum interpretationem oraculorum, orthodoxorumque institutionem potissimum derivavit.

De ipsorum, & speciatim de quorundam inter illos doctrinâ plurima jamtum

pertractata sunt, & literis prodita. Nobis tamen aliam longè viam, multumque à cæteris diversam hoc in volumine inire constitutum est. Reputantes enim animo hinc nostri imbecillitatem ingenii, inde argumenti hujus & periculum, & genus, id nunquam nobis sumpturi sumus, ut vel ea, quæ à quopiam ex his Patribus disputata sunt, breviori concludamus epitome, vel quas ipsi jamtum protulere sententias, nostris hic verbis eloquamur. Sed transcribemus cujusque placita, & periodos fide summâ, & oratione proluxâ. Quo fiat, ut quisquis demum voluerit, facili possit negotio, tutòque videre, quæ primis temporibus obtinuerint opiniones. Siquidem in toto enarrationis nostræ decursu ipsi Patres plura multò, quàm nos loquentur. Neque aliud propemodum hoc loco oculis subjecturi sumus, quàm sinceram collectionem, atque perpetuum quasi Veterum opinionum, verborumque contextum. Ex his omnibus melius multò, quàm ex argumentis, & disceptationibus elucebit, quàm necessaria fuerit, & æqua illarum, quas tot modò homines propugnare vehementer cuperent, propositionum proscriptio. Firmum itaque atque inconcussum esto, solius veri studio, non vanitate, non privatis commodis, aut cæco animi affectu duci unquam debere eum, qui legit, & minus multò, qui hujusmodi argumenta scribendo attingit: quin vivo potius flagrare eum oportere desiderio dandi gloriam DEO, modeste in verum inquirendi, majorémque lucem cum fructu hauriendi. Quapropter neque ad scribendum, neque ad legendum appellere prius quis animum deberet, quàm converso, omni que cum demissione ante Supremum luminis datorem prostrato animo, benignissimum Servatorem nostrum supplex, totaque mente

A

rogaverit, ut radiorum illorum uno se feriat, quo effici non modò potest, ut quantum humanæ imbecillæque menti licet, de Divinâ gratiâ intelligamus: verum etiam, ut vasa per ipsum electa ac fortunata momento temporis evadamus.

Hebræi
multa pote-
rant circa
rem præ-
sentem
erueret
Scripturæ.

I. QUÆ in præsentî materiâ spinæ latent, jam inde Hebræis negotium cœperunt faceßere, in ipsâ novi Pacti, legisque annunciatione, inque documentis, quæ suis in sermonibus noster ipsis dabat Servator. Consecuta tamen ex iis admiratio nascebatur magnam partem ex modico SS. Litterarum examine. Siquidem in aperto est, potuisse ipsos vel inde haurire, quantum quidem hanc in rem erat necessarium. Ac primum quidem versabatur ob oculos in Psalterio miseriæ nostræ post primi parentis delictum à noxâ originali causatæ demonstratio. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ps. L. 6. Peccatores erraverunt ab utero. Ps. LVII. 4. Domine! non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. CXLII. Job ait pariter ad Dominum: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Job XIV. 4. In Græco est: ¹ Quis enim mundus erit à sordibus? nemo sanè, etiamsi uno tantum die vivat in terrâ. Antiqua versio apud Augustinum habet: Nemo mundus in conspectu tuo, nec infans, cuius est dici unius vitâ super terram.

2. HABEBANT etiam Hebræi in Psalmis illas Davidis preces, quibus gratiâ Divinæ vim & necessitatem docemur. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis! Ps. L. 12. -- Nam iniquitatis amove à me. Ps. CXVIII. 29. Inclina cor meum in testimonia tua. 37. -- Cor regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud. Ps. XXI. His adde illam Salomonis 3. Reg. VIII. 58. Inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, & custodiamus mandata ejus. Legisse bis poterant in Ezechiele XI. & XXXVI. Dabo vobis cor aliud, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. In Jeremiâ XXXI. 33. Et in cordibus eorum scribam legem meam. Item XVII. 14. Sana me Domine, & sanabor; saluum me fac, & salvus ero. XXXI. 19. Convertite me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi penitentiam.

3. OBSERVASSE etiam Hebræi pote-

rant, quomodo in Deuteronomio, dicente populo ad ductorem suum: ² Tu magis accede, & audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisque ad nos, & nos audientes faciemus ea; quomodo, inquam, paulò post responderit Dominus: Audivi vocem verborum populi huius, quæ locuti sunt tibi; bene omnia sunt locuti. Sed quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea in omni tempore. Quapropter idem Moses populo suo peccatum execratur hæc fecit promissa, XXX. 6. Circumciderit Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua. Docebat etiam ipsos liber Sapientiæ VIII. 21. Ut sciatis, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire, cuius esset hoc donum, adi Dominum, & deprecatus sum illum.

4. ERUDIRE item illos poterant, simulque in certam Divinæ bonitatis spem erigere laudes admodum frequentes, quibus in Scripturâ summa Domini pietas celebratur, atque extollitur. Exodi XXXIV. 6. appellatur misericors, & clemens; patiens, & multæ miserationis, ac verax. In Psalmis sæpißimè legitur: ³ Misericordiâ Domini plena est terra. Misericors, & misericors Dominus; patiens, & multum misericors -- suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Invenire ibidem est bonitatis elogium, quâ preces nostras excipit: ⁴ Exquisivi Dominum, & exaudivit me. Accedite ad Deum, & illuminamini! -- Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum. Clamaverunt iusti, & exaudivit eos. Habetur in eodem Psalterio: ⁵ Deus meus! misericordia ejus præveniet me. -- Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. -- Legitur etiam apud Isaiam: ⁶ Expectat Dominus, ut misereatur vestri. Legitur ibidem: Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Notatu dignum est, cum dicit Deus peccatoribus: ⁷ Discite bene facere &c. Si enim ad bona opera adjeceritis animos, licet fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur. Quid dicemus de tot summæ clementiæ Divinæ significationibus, quæ habentur in Ezechiele? ⁸ Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat! Dixerat paulò ante: ⁹ Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est... vitâ vivet, & non morietur. Et mox sequitur: Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. In alio capite: ¹⁰ Vivo ego, dicit

(1) τίς γὰρ καθάρσει ἔσται ἀπὸ πύλου; ἀλλ' ὁ θεός, ὁ δὲ καὶ πᾶς ἡμέτερος ὁ θεός ὁ δὲ πᾶς ὁ θεός ὁ δὲ πᾶς ὁ θεός. (2) Deut. V. 27. & 29. (3) Psalm. XXXII. 5. -- CXLIV. 8. 9. (4) Ps. XXXIII. 5. -- 18. (5) Ps. LVIII. 11. Ps. XXII. 8. (6) Is. XXX. 8. V. 4. (7) Isa. I. 17. (8) Ezech. XVIII. 23. (9) Ibid. v. 21. (10) XXXIII.

Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ, & vivat. In primo loco à nobis relato, versio antiqua, quâ utebatur Augustinus, sic habebat: ¹ In quacunque die conversus fuerit iniquus, & fecerit iustitiam, omnes iniquitates ejus obliviscar. Quem cum revulisset, subjecit alium ex Ecclesiastico: ² Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subit enim veniet ira ejus. Et in alio Sermonem: ³ Promisi tibi, quoniam, quo die conversus fueris, obliviscetur mala tua prae terita; sed nunquid vitam crastini diei promisi tibi?

5. SEQUUNTUR in Ezechiele Judæorum quærelæ: ⁴ Et dixistis: non est aqua via Domini; & responsum, quod cum iustus se averterit, morietur in peccatis suis. Et si impius resipuerit, animam suam vivificabit. Non est igitur iniqua via Domini; sed magis viæ vestrae pravae. ⁵ Idcirco unumquemque secundum vias suas iudicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. Convertimini, & agite penitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Quæ omnia capite XXXIII. denuo inculcantur à Propheta.

6. PRÆTEREUNDUM minimè est caput illud Sapientiae, in quo innuitur, quantà utatur bonitate Deus etiam erga infideles. Exponit Author modum, quem tenuit Deus cum Aegyptiis, dicitque plenus admiratione: ⁶ Tu miseris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter penitentiam. Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Ad Chanaanæos deinde homines sceleratos, & idololatrias gradum facit, atque exorditur exclamando: ⁷ O quam bonus, & suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus! ideoque eos, qui exervant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, ut relicta malitiâ credant in te. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia injusta . . . perdere voluisti per manus parentum nostrorum . . . sed & his tanquam hominibus pepercisti, itaque omnia disposuisti, ut illos paulatim exterminarent. Non quasi id non posses momento temporis efficere, sed ut hoc modo dares locum penitentiae. Atque hinc est, quod paulò post jure dicitur: ⁸ Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Quod idem est, ac dicere: Non potest in Deum conferri culpa, quia in omnes gentes, ac nationes benevolus est & misericors, ita ut non alterius pereant culpâ, nisi suâ. Quare pergit: ⁹ Cum er-

go sis iustus, iuste omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum (id est alienum) aestimas à tuâ virtute. Et postea: Bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam iudicans das locum penitentiae. Si enim inimicos servorum tuorum, & debitos morti cum tantâ cruciasti attentione, dans tempus, & locum, per quæ possent mutari à malitia, majorem certè clementiam poterunt filii tui sperare. Apud Isaiam ait Dominus: Inventum se fuisse à non quærentibus, ¹⁰ expandisseque se manus torâ die ad populum incredulum, & idololatriam, immolantem in borbis, & sacrificantem super lateres.

II. Ex recitatis his locis multa etiam docere Judæos poterant, ipsorum peccata, obstinationem animi, & omne malorum genus ex ipsis unice, atque ex pravo liberi arbitrii, quo homo à Deo dotatus fuerat, usu provenire. Veritas hæc multis pariter in locis apparebat. Videbant in Genesi, Caino in fratrem, quod victimæ suæ non perinde atque illius Deo acceptæ essent, iras coquenti Deum dixisse: ¹¹ Cur concidit facies tua? nonne si benè egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.

PECCATUM esse in foribus accepere Interpretes pro adesse pœnam peccati; propterea quòd peccati nomen eam sæpè habeat apud Hebræos vim ac potestatem. Verùm quid amabo sibi volet esse in foribus? Si nostram hoc loco expromere fas est sententiam, dicemus, verba hæc idem sonare, ac: Si malè egeris, oportebit te reddere rationem, & mox in te constituetur iudicium; id quod aptè responderet priori membro: Si benè egeris, recipies præmium. Exprimere accusationem, & condemnationem ob delictum cum volebant Hebræi, rectè dicebant: Peccatum erit in foribus, quia supremi iudices ex more Hebræorum jus dicebant ad portam quandam publicam. Cujus rei fidem faciunt plures loci Scripturæ. In Deuteronomio pro eo, quod alius diem dicat in iudicio, habetur: Perget alius ad portam civitatis. ¹² Ab Esdrâ nominatur porta iudicialis ¹³ in re-ædificatione urbis Solymææ. Interpret latinus hic reddidit: in foribus. Antiquissima enim consuetudo portas civitatum, locorumque magis frequentatorum duplicatas efficiendi, id est in duas fores, aut vias æquales secandi, fuit in causâ, cur utraque efferretur numero multitudinis. Quare etiam Homerus unam Trojæ portam

(1) Aug. Serm. 20. n. 3. edit. ult. Paris. (2) ibid. n. 4. Ecclef. V. 8. (3) Serm. 39. n. 1. (4) Ezech. XVIII. 25. Cum enim averteris se . . . morietur in eis. 26. 27. 29. (5) ibid. v. 30. (6) Sap. XI. 24. (7) XII. 1. 10. (8) ibid. v. 12. (9) ibid. v. 15. 19. 20. (10) Isai. LXV. 1. Invenierunt, qui non quæserunt me. 2. Expandi &c. (11) Gen. IV. 6. (12) Deut. XXV. 7. (13) 2. Esdr. III. 3. contra portam iudicalem.

2. LEGITUR itidem in Oseâ: ⁸ *Perditio tua Israël: (id est à te) tantummodo in me auxilium tuum.* In Psalmis: *Si vocem meam audieritis, nolite obdurare corda vestra.* ⁹ Item: ¹⁰ *Et non audivit populus vocem meam, & Israël non intendit mihi.* In alio: ¹¹ *Viam veritatis elegi.* Apud Josue: ¹² *Optio vobis datur, eligite hodie, quod placeat.* Attentionem etiam meretur, quæ Moses jussu DEI dixit ad populum: ¹³ *Et nolulistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini DEI nostri murmurastis.* E eodem libro: ¹⁴ *Quodsi audire noluistis vocem Domini DEI nostri, ut custodias mandata ejus, in omni istas maledictiones incurres.* Preliis deinde: ¹⁵ *Mandatum hoc, quod ego præcipi tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in Cælo situm, neque res completitur difficiles, ut prætere executionem possis, quasi ad implendum illud trajicere debeas mare, aut in Cælum ascendere.* Sed ¹⁶ *juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Considera, quod hodie proposuerim*

3. LEGITUR item in Isaiâ: ¹⁷ Si volueritis, & audieritis me, bona terra comeditis: quod si nolueritis, & me ad iracundum provocaveritis, gladius devorabit vos. Apud eundem Prophetam: ¹⁸ Hæc dicit Dominus Deus Sanctus Israël: si revertamini, & quiescatis, salvi eritis Et nolueritis, & dixistis: nequaquam. Jeremias peccatorum oblationem representavit hoc modo: ¹⁹ Attrivisti eos, & reverterunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas super petram, & noluerunt reverti. Deus ipse ita eos increpuit: ²⁰ Locutus sum ad vos manẽ con-surgens, & non audistis; vocavi vos, & non respondistis. In libro Proverbiorum: ²¹ Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Ibidem: ²² Ego diligenter me diligo, & qui manẽ vigilant ad me, inveniet me. Item: ²³ Hominis est animam præparare. Quo loco abutebantur Pe-lagiani, quare & monuit Augustinus: Non bene intelligendo illos fulti, ²⁴ ut existiment, cor præparare, (ita legebatur in ejus versione) hoc est bonum inchoare sine adjutorio gratiæ DEI ad hominem pertinere. Dum contra homo præparat quidem cor: non tamen sine adjutorio DEI, qui sic tangit cor, ut homo præparet cor. Primo Paraphrasi non David monet Salomonem, Deum omnes scrutari animos, singulasque mentis cogitationes cognoscere. Deinde, si quaesieris eum, inquit, invenies, sin autem de-reliqueris eum, projiciet te in æternum. ²⁵ Sapientia secundo, v. 21. habetur: Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excacavit enim illos malitia eorum. In Ecclesiastico dicitur: ²⁶ Qui timet Deum, faciet bona; paucisque verbulis interjectis: ²⁷ Non dixeris, per Deum abest; (id est delinquo DEI culpâ) quæ enim odit, nẽ feceris; siue tuum est non facere ea, quæ odit. Deinde: Deus ab initio constituit (id est condidit) hominem; & reliquit eum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta: si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrigere manum tuam. -- Aut hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.

(1) Iliad. 2. *Σκαίον προπαυαίει πυλάων*. (2) VIII. 6. (3) Prov. I. 21. *In foribus portarum nobis profuerit verbum fuis*. -- VIII. 3. *juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur*. (4) Qu. heb. in Gen. (5) **וְהָיָה שְׁמֵךְ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ וְהָיָה שְׁמֵךְ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ** Veluthe Tefelchudh vevath tinfchal bo. (6) de Civ. D. l. 15. c. 7. (7) *Πες οὐ κ' ἀναστροφὴ αὐτοῦ, γὰρ οὐ αὐτὸ ἀέξουσ*. (8) XIII. 9. (9) Pf. XCIV. 8. (10) LXXX. 10. (11) CXVIII. 36. (12) Job. XXIV. 15. (13) Deut. I. 26. (14) XXVIII. 15. (15) XXX. 11. (16) *ibid.* IV. 15. 17. 19. (17) II. I. 19. (18) XXX. 15. (19) Jer. V. 3. (20) *ibid.* VII. 13. (21) Prov. I. 24. (22) VIII. 17. (23) XVI. 1. (24) *ad Bohif. l. 2. n. 19.* (25) Pf. XXVIII. (26) Ezech. XV. 1. (27) *ibid.* III. 14. 17. 18.

4. NEQUE defunt alia documenta, uti in Ezechiele: ¹ *Projicite à vobis omnes pravaricationes vestras ... & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* -- Et ego ad te Domine clamavi, & manè oratio mea praeveniet te. ² -- *Præveni in maturitate, & clamavi.* Primo Regum VII. 3. *Præparate corda vestra Domino, & servite ei soli.* In Jeremiâ: ⁴ *Hæc dicit Dominus: si convertieris, convertam te.* In Zachariâ: ⁵ *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; & ego convertar ad vos.* In Psalmis: ⁶ *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Hinc postea legitur: ⁷ *Si bene egeris, recipies.* Atque ita habet in Psalmis sententia Divina, & decretoria: *Tu reddis Domine unicuique secundum opera sua.* ⁸ Textus græcus, & hebræus habet: *secundum opera ejus.* ⁹ Idem in Jobo XXXIV. 11. *Opus hominis reddet ei, & juxta vias singulorum vestiet eis.*

Scriptura
modo Deo,
modo nobis
salutem ad-
ferunt.

III. PUGNANTIA loqui videri posset Scripturâ, cum jam Deo, uti observare licet ex locis relatis, jam nobis nostram salutem adscribit, multasque sententias continet, quibus ea à solo DEO proficisci videtur; multas contrâ, quibus à nobis affirmatur dependere. Sed dispungetur hæc ambiguitas in progressu operis, quando videbimus doceri à Patribus, nullam ex eo antilogiam enasci; siquidem & unum verum est, & aliud. Verum intellectio verborum, & veritas non ex unis duntaxat locis repetenda est, sed ex utrisque inter se rite consociatis; discique inde oportet, & hoc requiri, & illud; id est Divinâ primûm gratiâ, deinde nostrâ quoque operâ opus fore.

Lata diffi-
cultas.

2. PLUS difficultatis in speciem præ se ferunt effata quædam, quæ primâ quidem fronte subruere libertatem, ac quod inde consequens est, Deum peccati efficere videntur authorem. In Isaiâ ita legitur: ¹⁰ *Ex dixit: vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, & videre visionem, & nolite cognoscere; & postea: ¹¹ Excaca cor populi hujus, & aures ejus aggravâ, & oculos ejus claudere, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Apud eundem: ¹² *Quare errare nos fecisti Domine de viris tuis? indurasti cor nostrum, ne timeamus te.* Apud Jeremiam: ¹³ *Se-duxisti me Domine, & seductus sum.* Apud Ezechielem: ¹⁴ *Ego Dominus decipi Prophetam illum.* Refertur in Deuteronomio, noluisse Regem Schon permittere transi-

rum Hebræis, ¹⁵ quia induraverat Dominus Deus spiritum ejus. Deus cum juberet in Exodo, ut Moses appellaret Pharaonem de dimittendo populo hebræo, adjungebat: *Sed ego indurabo ¹⁶ cor ejus, & non audiet vos.* Hinc sequitur v. 13. *Induratum est cor Pharaonis, & non audivit eor.* Eidem insuper Deus hæc dixit verba: ¹⁷ *Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & naretur nomen meum in omni terrâ.* Et iterum: ¹⁸ *Induravi cor ejus, & servorum illius ... Induravit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eor.* Atque ita sæpius. A veteri autem Testamento hic loquendi modus ad novum traducitur. ¹⁹ *Audiant, & non intelligant.* ²⁰ *Excacavit mentes infidelium.* ²¹ *Excacavit oculos eorum.* ²² *Mitter illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* In hujusmodi locis antiqui triumphabant hæretici, qui libertatem impugnatum ibant, uti legere est in Irenæo, Origene, & pluribus aliis.

3. PROPECTO horrois aliquid aspergunt ejusmodi effata, emollietur tamen continuo, quidquid duriusculum est, atque in nihilum recidet, si quis noverit hebraicos esse hos modos loquendi, qui aliud sonant, aliud significant; consuetudinem item omnia DEO tanquam causæ primæ tribuendi fecisse, ut Hebræi phrasas adhiberent, quibus non raro DEO videantur adscribi ea, quæ non nisi ab hominum perveritate procedunt. *Habet enim ²³ omnis lingua sua quædam propria genera locutionum, quæ cum (ad verbum) in aliam linguam transferantur, videntur absurda.* Hæc Augustinus. Hebraicum idioma, & dialectum Syriacum qui callent, optimè norunt, quàm asperos illa habeant loquendi modos, quàmque ab eorum, qui Occidentis plagas incolunt, cogitandi ratione alienos. Non superunt ipsis verba, quæ certas explicent præcisiones, aut rectè distinguant agere, & pati, neque, quæ actuum humanorum gradus commonstrent; carent nonnullis temporibus; neque infrequenter tempus unum alteri furrogant; eodem utuntur vocabulo ad res affines quidem, at differentes. Neque defunt iis verba, & nomina, quorum significationes complures non diversæ modò sunt, sed & oppositæ. Expressiones sæpe adeo sunt hyperbolicae, ut ad literam spectatæ, mutare videantur significatum. Peccatum enim irremissibile idem interdum erit, quod difficulter condonabile. Odisse erit minùs amare; sufficere fidem ad salutem erit,

Explicam-
tur.

Hebræi-
nt.

(1) Ezech. XVIII. 31. (2) Ps. LXXXVII. 14. (3) CXVIII. 147. (4) Jer. XV. 19. (5) Zach. I. 3. (6) Ps. CXVIII. 35. (7) Gen. IV. 6. (8) Ps. LXI. 13. (9) *נארו רחוקו דולו* *che-manghaschen*. (10) II. VI. 9. (11) Ibid. 10. (12) LXIII. 17. (13) XX. 7. (14) XIV. 9. (15) Deut. II. 30. (16) Exod. VII. 3. (17) IX. 16. (18) X. 1. &c. (19) Marc. IV. 12. (20) 2. Cor. IV. 4. (21) Jo. XII. 40. (22) 2. Theff. II. 10. (23) Aug. de Ver. Relig. n. 99.

eampræ cæteris requiri. Porro cum hæc lingua non habeat gradus comparationis, minus reddit per nihil; & quod primum non est, tanquam si non foret, facit apparere. E contrario per multos quandoque significantur omnes; & vice versa per omnes sæpe multi.¹ S. Augustinus: *Non autem diversum putetur, inquit, quod cum ibi positum sit omnes... hic non omnes, sed multi: ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus multos.* De unâ non raro parte perinde loquitur Scriptura, ac de toto. Quare idem Augustinus Epist. 149. n. 20. advertit: *Scripturæ mos est, ita loqui de parte tanquam de toto, &c.* Istam Divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrimè sparsam quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur contraria. Igitur cum extra dubium sit, reperiri antilogias in Verbo DEI non posse, consequens est, dicta paulò ante relata libertati in speciem contraria nunquam certè adversari posse omnibus nuper adductis sententiis, quibus plenissimum liberum arbitrium tot in locis, tantæque energiâ, atque efficaciâ docetur, & exponitur. Verissimè igitur Patres docuere: Deum indurare, occæcare, & decipere homines, modos loquendi esse, quibus modò significatur, Deum permittere patrari peccatum juxta naturalem rerum ordinem; neque suâ id omnipotentia impedire: modò, non dare ipsum animis perverfis in eorundem pœnam illos impulsus, quibus certò succumberent. Antiquissimis etiam temporibus Gentes ceteræ cum de Diis loquebantur, certas inter se notiones confundebant. Homerus Diis suis non solum sæpe tribuit, quod homines timeant, quod audeant, quod statuant. Quid? quod non veretur dicere, Palladem induxisse in errorem, mentemque pervertisse nonnullis; immisisse Jovem perniciosum somnium, malamque meditatam fuisse fraudem;² id quod respondere videtur phrasi illi Scripturæ: *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, quemadmodum paulò ante vidimus.* Sic Sophocles laudavit apophthegma hoc: *Malum illi præclarum esse facinus videtur, cui mentem Deus agit in ruinam.* Asseruit item, tales esse hominum mentes, quales eo ipso die vult illas esse Jupiter Deorum, atque hominum parens.³ Quæ sententia à Cicerone latine reddita extat apud Augustinum de Civit.

D. l. 5. — Cum Plato l. 2. de Rep. Homerum, Hesiodum, aliisque Poëtas reprehendit, quod parum decencia de Diis scripserint; eamque ob causam populus, & juvenus falsas animis suis ideas imprefferint; inter præcipuos eorum errores recenset, quod eos boni perinde ac mali authores efficiant; adfertque locum ex Æschylo, quem tamen nolebat audiri ab adolescentulis; propterea quod solius boni, rectæque & felicitis operationis causâ appellandus sit Deus. Homericus tamen, cæterorumque Poëtarum loquendi mos enatus indè non est, quod vel ipsi, vel Gentiles passim de Deo tam sinistra haberent opinionem, quam eorum scripta volutanti possit videri; sed quod exprimi potius hunc in modum eâ tempestate soleret certa ac prope innata mentibus idea omnia ad Deum referendi, nullo bonum inter & malum facto discrimine.

4. HEBRAICIS porro, priscisque loquendi modis adscribendum pariter est, quando legitur in Ezechiele: *Ego dedi eis præcepta non bona.* In Amos: *Sierit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* In Jeremia: *Inebriabo eos.* In Job: *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos.* Libro Judicum: *Misitque Dominus spiritum pessimum.* Libro Reg. *Dixit Dominus: decipies, & prævalebis.* Idem legitur Lib. II. Paralip. his additis: *Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.* Quis non videt, hæc omnia certissimè non debere accipi in sensum blasphemum? In versiculum illum Psalmi: *Et convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus, ita commentatus est Augustinus:* *Nunquid ergo istorum tam gravium peccatorum author est Deus? ... quis sapiens & intelliget hæc?* ostendens deinde, quomodo ipsi maligni & impii jam fuerint, & vitio suo mali sint, Deus autem de malo eorum benefaciat. Cum dicitur apud Isaiam, quod Deus sit faciens pacem, & creans malum, &c. exponit Hieronymus: *otium & bellum, &c. unde confundatur hæresis, quæ malorum arbitratur conditorem Deum.*⁴ -- Nasci etiam quandoque parentia quidem id genus paradoxa ex eo contingit, quod phrasis hebraica reddi perfecte non possit. Novum usque adeò Testamentum, tametsi hebraicè scriptum non fuerit, (*) hebraïsmorum tamen plenum est; cum quod veteris effata sæpe repe-

(1) Rom. V. 15. *Unius delicto multi mortui sunt.* 18. *In omnes homines in justificationem vitæ.* 19. *peccatores constitui sunt multi.* (2) de Civ. D. I. 20. c. 2. (3) Odyss. γ. κατεπλάγη δὲ νόημα. Iliad. B. ἔλεον αἰετοὶ πικρὰν, καὶ ἀπὸ τῆς βελύσαντο. (4) in Antig. τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἰσθλὸν τῷ δ' ἡμῶν ὅτ' αὖτε οἷός ἐστιν ἡμεῖς αὐτοὶ. (5) Homeri hæc sunt verba: Τεῖσ' ὅδε νόες ἴδω ἐπὶ τῶνδε τῶν ἀνθρώπων, οἷον ἐπ' ἡμῶν ἀνὴρ παρὰ δὲ δόξῃσι θεῶν. Cicero ita reddit l. c. *Tales sunt hominum mentes, qualis Pater ipse Jupiter audiferas iustitiam lumine terras.* Qui postremus tamen versus cum Homericò non consonat. (6) Ezech. XXX. 25. Am. III. Jer. LI. 39. Job. XII. 24. Jud. IX. 23. 3. Reg. XXII. 22. Paral. XVIII. 22. (7) Aug. in Pl. 104. n. 17. (8) ad Ila. XLV. 7. (*) maximâ saltem ex parte.

rat, tunc quod ab Hebræis concinnatum sit. Liquer id ex locis etiam minoris momenti. In eodem enim *liberi iustitiæ* idem sonat, quod *alieni à iustitiâ; plenum gratiæ; & veritatis*, ut exposuit Gelasius P. in Epist. ad Episcop. Piceni, idem est, quod *plenum veræ gratiæ*; item de *corpore mortis huius* idem est, quod *de hoc mortali corpore*, & alia plura id genus. (*) In versionibus quandoque particulæ, quæ causales non sunt, tales tamen esse videntur. Verbo: Una ex causis est obscuritas SS. Literarum, eò fortassis à sapientiâ Divinâ volita, ut interpretis hoc ex capite profluere necessitas; cuius munus antiquâ adminiculante traditione obit Ecclesia. Cæterum quantum ad præfens institutum facit, facile est cognoscere id genus loquendi modos magnam etiam partem ex eo provenire, quod ab humano phantasmate non satis mentem sciamus avellere; morémque illum antiquum relinquere, quo de Deo & hominibus, iisdem loquendi formulis utimur. Quo fit, ut *indurare Deum, fallere, occurrere*, non magis verum sit, quàm eundem *oblivisci, duci penituntia, irasci, affligi*; item: *habere oculos, brachia, manus*: quæ omnia loquendi genera in SS. Paginis pari fere numero occurrunt.

IV. Cum itaque secundum præfixam methodum propositum nobis esset, cumulatè omnibus iis satisfacere, qui ad recitata jamtum loca, aliâque non minùs in speciem difficilia legenda accedunt, ancipites primùm, perplexique hæsimus. Cum enim in purâ putâ hystoriâ nihil nobis præter antiquorum dogmatum, interpretationisque variorum Patrum enarrationem meditandis, præfixa nobis chronotaxis perturbabatur, consilium unum pugnabat cum altero. Mediam demum inire viam decrevimus, adscriptâ nimirum ad marginem folius cuiusdam Authoris, qui quidem alius, quàm Augustinus non erit, in sententias obscuriores expositione. Hunc ut deligeremus, præterquam, quod illustrem cum primis locum inter SS. Patres teneat, duæ potissimum nos causæ induxerunt. Prima est, quod ipse sæpius, & studiosius etiam fortassis, quàm quisquam alius in huius generis locis versatus fuerit: altera, quod (cùm in referenda ejus doctrinâ, uti fiet suo loco, majorem adhibere nos oporteat diligentiam, viamque ab eâ, quam in aliorum dogmatis percrendendis tenebimus, insisteret diversam; cùmque non ita aptè concinnari tum possit commentationum ejus in S. Scripturam series) ad rem præsentem plurimum momenti adlaturum sit, si in prioribus hisce libris præcipuas ejusdem

interpretationes exhibuerimus, quod nihil desiderari possit eorum, quæ quidem ipse hoc in genere docuit. Adde, quod, quantum ad libertatem, gratiam, & dogma, certi esse possimus, communem Patrum doctrinam quatuorque præcedentium sæculorum traditionem in uno nobis Augustino sub conspectum dari. Quandoquidem, quantum momenti apud ipsam habuerit præcedentium autoritas, declaravit his verbis: ¹ *Quod invenerunt, in Ecclesia tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filii tradiderunt.* Quàm porro ipse traditionis tenax fuerit, aliis his testatum fecit: ² *Quod credunt, credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo.*

2. Ad recitatos igitur paulò ante versiculos quod attinet, in lib. de Grat. & Arbit. scripsit in hunc modum: ³ *Nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: ego induravi Pharaonem, aut indurabo cor Pharaonis, non enim propterea ipse Pharaon non induravit cor suum.* In Quæstionibus in Exodum: ⁴ *Et quamvis, inquit, uniuscujusque cordis in malitia qualitas suo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis; ea tamen qualitate mala, ut huc vel illuc moveatur, causis illis (vel si malis, occasionibus) sit, quibus animus propellitur, quæ tamen causæ ut existant, vel non existant, non est in hominis potestate; sed veniunt ex occulta providentia justissimâ plane, & sapientissimâ. Ut ergo tale cor haberet Pharaon, quod patientia DEI non moveretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitii proprii fuit: quod verò ea facta sunt, quibus cor vitio suo tam malignum resisteret iustionibus DEI dispensationis fuit Divinæ, quæ tali cordi iusta pœna parabatur; quia timentes DEUM corrigerentur. Proposito quippe lucro verbi gratia, propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemptor movetur; ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipsius tamen lucri propositio in alicujus illorum non fuit potestate. Ita causæ veniunt hominibus malis, quæ non sunt quidem in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales illos invenerunt jam factos propriis vitiis ex præterita voluntate. Videndum sanè est, utrum etiam sic accipi possit: Ego indurabo, tanquam diceret, quàm durum sit, demonstrabo. Et quibusdam interjectis: Apparet, ⁵ inquit, non illas tantum fuisse causas obdurationis cordis Pharaonis verum etiam ipsam DEI patientiam, quæ parcebat.*

3. POSTREMA hæc solutio, quæ etiam in prioribus aliis, & ante omnes in Origene legitur, prolixius indicatur in Sermone quodam, ubi dubium hoc dedit à operâ ex-

Explicatur,
quoniam
Deus indu-
ret.

Augustini
interpretationem præ-
fert Author.

(*) Plurimos hujusmodi idiotismos congeffit Tirinus noster in Proleg. in SS. Biblia. (1) Cont. Jul. l. 2, n. 24. (2) l. 1. n. 20. (3) de Grat. & lib. Arb. n. 45. edit. ult. Paris. (4) Quæst. 18. (5) Quæst. 24.

cutitur; quem alii Augustino, alii S. Cæsario, Arelatensi Episcopo, tribuunt. Si ultimi huius est, certe sententiis, quid? quod & verbis Augustini aliquā ex parte usus fuit; id quod contingere facile poterat; quod, quemadmodum ipsi tempore erat suppar; ita & erat ejus in doctrina sectator. Sermonis itaque hoc est exordium:¹ Quotiescumque lectio illa recitatur, fratres Carissimi, in qua frequenter audimus cor Pharaonis Dominum indurasse, non solum Laicis, sed etiam aliquibus Clericis solet scandalum generare. Dicunt enim aliqui inter se: Cur iniquitas illa Pharaoni imputatur, cum Dominus cor illius indurasse referatur? respondet deinde: Primum hoc fideliter, & firmiter teneat dilectio vestra, quia nunquam Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Cum enim & secundo, & tertio unusquisque gravia peccata commiserit, expectat tamen illum Deus, sicut per Prophetam dicit, ut convertatur, & vivat. Cum vero in peccatis suis cæperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. In cuius rei confirmationem plura recitat Scripturæ loca: deinde, hæc, inquit, adduximus testimonia, ut intelligatis, quia obduratio non DEI potentia compellente perficitur, sed DEI remissione vel indulgentia generatur, ac sic Pharaonem non Divina potentia, sed Divina patientia credenda est obdurasse... quia toties Dominus dicit: Ego indurabo cor Pharaonis; non aliud intelligi voluit, nisi ego suspendam plagas meas, & flagella; unde cum per indulgentiam meam contra vos obdurari permittam. Sed fortasse aliquis dicet, quare illum Deus parcendo obdurari fecerit... Hoc loco securus respondeo; ideo Deus toties flagella removit, & primam continuans penam ad frugem non reduxit, quia Pharo pro ingenti cumulo peccatorum non tanquam filius ad emendationem meruit corripui, sed tanquam hostis permissus est indurari. — Nemo ergo cum Paganis, aut Manichæis DEI iustitiam reprehendere, aut culpam præsumat, sed certissime credat, quod Pharaonem non DEI violentia, sed propria iniquitas, & indomabilis superbia contra DEI præcepta toties fecerit obdurari. Si urges: Quare autem Dominus noster non omnes ita misericorditer flagellat, ut nullum contra se obdurari permittat? iterum respondebit: Aut illorum iniquitati, qui obdurari merentur, adscribendum est, aut ad imperscrutabilia DEI judicia referendum est, quæ plerumque sunt occulta; nunquam tamen injusta. Ipse Pharo agnovit veritatem, unde iustitia compellente confessus est: Dominus iustus, ego autem & populus meus impii. Ex eo etiam quod missum denique

fecerit populum, recte colligitur, quod non eum Deus irrevocabili obduraverit, id est eum in modum, ut resipiscere non posset, si vellet. Quod enim decem plagis percussus fuisse legitur, post primam castigationem implere potuisse cognoscitur. Quam rem etiam circa vernaculos nostros exercere consuevimus... cum enim peiores de ipsa remissione redduntur, solemus eis exprobrantes dicere: ego te talem feci, ego tibi parcendo protervium tuam fovi. Hæc Origenis commentatio etiam placuit Hieronymo; quare in illud Isaia: Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, & indurasti cor nostrum? hæc notat: Non quod Deus erroris causa sit, & duritie, sed quod illius patientia nostram expectantiam salutem, dum non corrigit delinquentes, causa erroris, duritiaeque videtur, unde quibusdam vehementer iratus à percutiendo manum suspendit. In illud porro Jeremie: Seduxisti me Domine, ita commentatur Hieronymus: Dum... mihi clementiam polliceris, & quasi misericors pater dissimulas duritiam... fecisti me negligentem.

Origenis
interpretatio
ad hoc
minime.

4. Non præteribimus aliam Interpretationem S. Augustini, cum agit de gratia & libero arbitrio.² Invenimus, inquit, aliqua peccata esse etiam panas aliorum peccatorum; adducitque in exemplum obdurationem Pharaonis: Firmum enim debet esse, & immobile, in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum: Ac per hoc quando legitis in libris veritatis, à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare, præcessisse mala merita eorum, ut iuste ista paterentur. Et iterum n. 45. In eo, quem seduci permittit, vel obdurari, mala ejus merita credere. Hinc itaque per Augustinum nascitur obduratio, & oblectatio adversus interiores impulsus, & vocationem. Quam in rem ita disputat Commentator noster:³ Nunquid latebat Pharaonem, quantum boni consecuta fuerint terra illa per adventum Joseph? illius ergo rei gestæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Israël misericorditer tractans non esset ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas, & misericordia debebatur, meruit penam, ut induraretur illi cor, & tantam cecitatem mentis pateretur, ut tot & tantis, tamque manifestis DEI signis non crederet.

Obduratio
pena est.

5. NEQUE non monendus hoc loco lector est, quod, uti melius adhuc alibi videbimus, induratorum, occæcatorum, uti etiam tenebrarum nomine ex mente S. Augustini intelligendi sæpe veniant infideles, ubi dicit, quod animæ,⁴ quæ charitatem non habent, tenebescunt, & obdurescunt quodammodo. Proinde infideles homines

tenebræ

(1) Serm. 22. in Append. (2) de Grat. & lib. Arb. n. 41. 43. 45. (3) de Quæst. 83. Qu. 68. n. 5. (4) Epist. 140. n. 57.

tenebræ sunt; qui per fidem conversi ad DEUM, quādam præmissa illuminatione lux fiunt. Et Commentario in Psalmos: Infideles enim¹ significantur nomine tenebrarum. Et verò Pharaon, Sehon, aliique erant infideles; licetque hic animadvertere, quod de fide ut plurimum, & incredulitate sermo sit, cum in SS. Paginis de induratis vel occæcatis sit mentio.

Explicatur
locus de Esau & Jacob.

V. Non ageremus satis pro dignitate instituti, si nullam injiceremus mentionem locorum illorum de Jacobo, & Esau, qui hæc in materiā adeo celebres sunt, & decantati. Rebecca primū sterili Isacco Deum precante geminos conceperat, qui cum magno matris cruciatu inter se digladiarentur; dictum ei fuit à Domino: ² *Dux gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividuntur, populusque populum superabit; & major serviet minori.* Alter locus est apud Malachiam: ³ *Dilexi vos, dicit Dominus, & dixisti, in quo dilexisti nos? nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, & dilexi Jacob; Esau autem odio habui, & posui montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus in dracones deserti.* Postremi hujus dicti sensus historicus in ipso Prophetā indigitur, cum ibidem adjungatur: *& posui montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus in dracones deserti.* Quo vel significatur, Jacobo fratri minori regionem magis fertilem, Esau contra natu majori sterilem magis, & solitariam fuisse assignatam; vel possessam ab hujus posteris Idumæam evasisse locum prope desertum ex strage, de quā apud Abdiam, & Ezechielem extat vaticinium, & de quā fit sermo libro tertio Regum. Alterius verò loci sensus historicus quis fuerit, apparuit, ut inquit Augustinus, ⁴ *ubi populus Israel, hoc est Jacob minor filius, superavit Idumæos, hoc est gentem, quam propagavit Esau, eosque fecit tributarios per David.* Atque eo in statu perstitere, usque dum postea secundum vaticinium Isaci jugum excuterent.

2. SENSUM metaphoricum si spectamus, significatio magis obvia, & plana est ex mente S. Augustini, quod Esau primogenitus, id est tempore anterior, Synagogam judaicam; Jacob verò minor natu christianam repræsentavit Ecclesiam, quæ tametsi secuta fuit, demum tamen prævaluit, aliāque in servitutem redegit. Quare legitur apud Doctorem nostrum: ⁵ *Quod autem dictum est: major serviet minori, nemo fere nostrum aliter intellexit, quā majorem populum Judæorum minori populo christiano servitutum. Et revera quāvis in gen-*

*te Idumæorum, quæ nata est de majore ... hoc videri possit impletum ... tamen in aliquid majus intentam fuisse istam Prophetiam, quā dictum est: Populus populum superabit, & major serviet minori, convenientius creditur. Et quid est hoc, nisi quod in Judæis & Christianis evidenter impletur? Ita in quodam Sermone notari vult, quod Judæi tum temporis servierint Christianis, unde appareat Hebræos per Esavum, Christianos contra per Jacobum fuisse significatos.⁶ Alio in loco: ⁷ *Jacob, inquit, figuram gestavit Ecclesiæ, sicut Esau veteris Synagogæ.* Quibus verbis docet, quā ratione DEUS institutā inter geminos antē, quā nascerentur, electione ostendat vocationem ad fidem esse merum suum donum; nihilque ed conferre posse hominum merita. Huc faciunt verba, quæ fecit DEUS ad Moysen libro Exodi: ⁸ *Miserebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit; quæ Interpret noster exponit de vocatione ad fidem datam à DEO, quibus ipsi placebat, atque idcirco ipsis etiam Gentilibus concessam, & merā quidem misericordiā: Quoniam enim se Gentes introducturum pollicebatur, ... commendavit hoc se misericorditer facere. Miserebor &c. quibus verbis prohibuit hominem, velut de propriarum virtutum meritis gloriari. Verū ipse conjiciebat, quod cum idem, aut quasi idem bis repetebatur, prænuñciaverit fortasse hoc modo Deus, aut in utrisque populis, id est Gentilibus, & Hebræis, misericordiam se esse facturum.⁹**

3. FECIT porro rerum affinitas, ut Jacob interdum etiam habitus fuerit typus perfectæ electorum, id est destinatorum ad gloriam cœlestem; secus verò Esau. Atque in hanc sententiam non uno modo locutus est Magister noster. Commentaturus enim illum Psalmi versum: ¹⁰ *Elegit nobis hereditatem suam, elegit speciem Jacob, quam dilexit; notavit, quomodo, cum duo essent, electus fuerit minor, & præpositus majori; at quā ob causam? indigitur per omnes gentes major, per omnes gentes minor; sed minor in bonis Christianis, electis, piis, fidelibus, major in superbis, indignis, peccatoribus, contumacibus, sua peccata defendentibus magis, quā confitentibus, qualis etiam ipse populus Judæorum fuit. Versiculus ille in textu hebraico, quem habemus, sic legitur: *Elegit nobis hereditatem nostram, gloriam Jacob, quam amavit.* Sic dixit Augustinus scribens in Genesin: ¹¹ *Spirituali intelligentia carnales in populo DEI significantur per majorem filium, & spirituales per mi-**

(1) in Pf. LX XXVII. n. 12. (2) Gen. XXV. 23. (3) Malach. I. 2. (4) Aug. Qu. in Genes. I. 1. q. 13. (5) de Civ. D. I. 16. c. 35. (6) Serm. 5. n. 4. Et ideo Jacob ille, qui modo lectus est, populum significat christianum ... Ecce Judæus servus est Christiani. (7) in Pf. LXXVIII. n. 10. (8) Exod. XXXII. 19. (9) ibid. n. 4. (10) in Pf. 46. n. 6. (11) in Pentat. I. 1. quæst. 37.

novem. Distinctius adhuc loquitur in alio loco: ¹ *Esau ... repraesentabat omnes carnaliter electi, maiores reprobati. Vult & ipse eligi? fiat minor: id est evadat humilis, & bonus, qualis erat minor, & erit etiam ipse inter electos.*

4. NEGLIGENDUS non est Tractatus, quem populo suo in locum hunc de Esau, & Jacobo recitavit Augustinus, & in quo ista magis ex instituto pertractavit; eamque ob causam deinde eo respexit in quaestionibus in Genesin. Ait enim ibi: ² *Ut ad Jacob pertineatis, Esau non amaris! erit autem Esau, qui vult carnaliter vivere. Deinde ut doceat, quo pacto ii, qui volunt, Deo opitulante ad Jacobi transire partes possint, sententiam illam adfert de vero lumine, quod illuminat omnem hominem; & observat non habere illud sese, uti lux materiata, quae uno in loco micat, non item in altero; siquidem ³ hoc ubique praesto est. Homo certe, qui est in Occidente, si vult justè vivere ... iterum in Oriente positus, si velit justè vivere, id est secundum eandem justitiam, nunquid deest illi? Exponit deinde n. 12. ideo majorem filium dici Esau, quia nemo sit spiritalis, nisi ex carnali: sed si perseveret in prudentia carnis, semper erit Esau; si autem fiat spiritalis, est filius minor: sed ipse minor erit major, ille enim tempore praecedit, iste virtute. Perdiderunt ergo primatum suum, quia conversi corde in Aegypto, manducaverunt lentem. Accipite: Populus christianus est, sed in ipso populo christiano primatum tenent, qui pertinent ad Jacob; qui vero carnaliter vivunt, carnaliter credunt, carnaliter sperant, adhuc ad vetus Testamentum pertinent, nondum ad novum; adhuc in sorte sunt Esau, nondum in benedictione Jacob.*

5. Post aliqua interjecta ita & profectur: Sed alio modo figurati duo populi pertinentes ad Jacob. Etenim D. N. J. C. qui ad Judaeos, & Gentes venerat, repudiatus est à Judaeis, qui pertinebant ad filium majorem: elegit autem quosdam, qui pertinebant ad filium minorem. ⁴ Postquam ostendit, vaticinio hoc peculiare quid assignatum fuisse Jacobo, & peculiare quid ac proprium Esau, nimirum, quod debeat ipse servire fratri; ⁵ declarat porro: ⁶ *Nè tolleret liberum arbitrium adhaerere Isaacum: Erit autem, cum deposueris jugum de collo tuo. Quid est, erit autem, cum &c. liberum tibi est, si volueris, converti: non quasi duo eritis, sed unus Jacob; omnes enim, qui convertuntur ab Esau, ad Jacob pertinent.*

DENIQUE num. 31. *Sunt mali, ait, in Ecclesia pertinentes ad Esau ... super omnes descendit Sermo DEI de Caelo. Venit Sermo DEI, (id est interior gratia) & irrigat, sed qui irrigat, & quid irriget, attende! Nam & illos irrigat, & illos, bonos & malos: sed illi bonam pluviam in radicem spinarum convertunt: illi autem ad fructum bonam pluviam trahunt. Nam simul Dominus p'uit super segetem, & super spinas; sed segeti pluit ad bovum, spinis ad ignem, & tamen una est pluvia.*

VI. JAM verò omnes hi loci haftenus ex SS. Literis relati, alique non dissimilis argumenti sufficere poterant illuminandis Hebraeis, non modò circa liberum arbitrium, sed & circa Divinam gratiam. Quapropter excusationem obtendere nullam poterant, quod quādam obsepti caligine rectam rerum istarum ideam suo in animo non descripsissent. Verum cum quòd hujusmodi materiae rariùs attingebantur in Lege veteri, tum quòd Phariseorum, Doctorumque superbia sensum Scripturae non intimè perspiciebat, neque plus luminis merebatur, potissimā Nationis parti mysterium hoc mansit incognitum, solis Viris sanctioribus, Deoque magis acceptis ex eo quidquam participantibus. Haec gratia, ait Augustinus, ⁷ in Testamento veteri latitabat, quae in Christi Evangelio revelata est. Ipse etiam S. Rex David quandoque non satis huc applicuisse animum videri possit; siquidem dum dixit: *Non movebor in aeternum*, si Ambrosio & eidem Augustino credimus, praesumptione virtutis elatus, ⁸ sibi tribuebat, quod à Domino habebat. Mox etiam innuit hujus se audaciae dedisse poenas, propterea quòd Deus, ut dixit, averterat faciem suam ab eo. Idem, ut etiam Augustinus observat, S. Petro accidit. ⁹ Haec vox & Apostoli Petri esse potuit; dixerat quippe & ipse in abundantia sua: *Animam meam pro te ponam; sibi festinando tribuens, quod ei fuerat à Domino post largiendum.*

2. HINC est, quòd, dum Christus haec dogmatum capita suis in institutionibus attingebat, mirati, atque concitati in ipsum fuerint maximā ex parte Judaei; idque eò vehementius, quòd clariùs intelligebant Evangelium, & gratiam cæteris quoque gentibus eodem tempore ex aequo communem fore. Cum haud multò post praedicationis suae initium Synagoga Nazarea in memoriam revocasset, ¹⁰ quòd tempore Eliae, magnā ubique terrarum annonae caritate invalescente, repertis licet multis eā

Hebraei
non omnia
haec intelli-
gere.

(1) in Pl. CXXXVI. n. 18. (2) in Pentat. l. 1. c. 74. Satis diximus &c. Serm. 4. n. 3. (3) n. 7. (4) n. 17. (5) n. 30. *Habet & iste nescio quid proprium &c. & in gladio vivet, & fratri tuo serviet.* (6) ibid. (7) de Sp. & Lit. c. 15. (8) Pl. XXXIX. 7. Ambr. in Luc. l. 3. n. 23. Aug. de Nat. & Gr. n. 27. v. 8. *Avertisti faciem tuam.* (9) Aug. de Corr. & Gr. n. 24. (10) Luc. IV. 25. & 29. *Et surrexerunt, & ejecerunt illum &c.*

in regione viduis, uni tamen soli Prophe-
ta hic in partibus Sidonis missus fuerit sub-
sidio; item, quod tempore Elisæi, multis
in Israele lepra infectis, ipse tamen nonni-
si unum Syrum sanaverit: complures ex
eâ turbâ tantâ in ipsum indignatione fuere
commoti, ut Synagogâ & Civitate ejectum
conati fuerint interficere. Paulò antè, quàm
pateretur, Judæis Synagogæ Capharnaita-
næ dictis suis fidem derogantibus dixit: ¹
Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui
miserit me, traxerit eum. Exponit Augusti-
nus, quomodo venire ad me idem sit, quod
credere in me; item quomodo per *trahi*
significetur, non datum esse ipsi ob bonæ
voluntatis merita, quod credat; sed ad id
à virtute supernâ perinde ac Saulum exci-
tatum fuisse. ² Cùmque paulò post sub-
didisset Servator, *carnem suam verè esse ci-*
bum, & sanguinem suum verè esse potum; mul-
ti discipulorum inter se dicebant: *Durus est*
hic sermo, hoc est incredibilis, ut exponit
Augustinus. ³ Significavit tum ipsis Redem-
ptor, agnoscere se optinè ipsorum in-
credulitatem, ideòque addidit: *Dixi vo-*
bis: ⁴ *quia nemo potest venire ad me, nisi*
fuerit ei datum à Patre meo. Ex hoc multi
discipulorum ejus abierunt retrò, & jam cum
illò non ambulabant.

3. LOCIS jam recitatis, ex mente Au-
thoris nostri significatur gratia præveniens,
sinè quâ esse in nobis fides non potest. ⁵
Legant etiam, (Pelagiani) quod ipse Dominus
ait: Nemo potest venire ad me, nisi Pater,
qui misit me, traxerit eum. Ubi ne quis-
quam putet, aliud dictum esse venire ad me,
quàm credere in me, paulò post ... ait: *Ver-*
ba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vi-
ta sunt; sed sunt quidam ex vobis, qui non cre-
dunt. Et postea: *Et hoc propter credentes,*
& non credentes se dixisse manifestavit. (Sal-
vator) Ille quippe trahitur ad Christum,
cui datur, ut credat in Christum. Eodem
Tractatu docet, ex eo, quod dictum non
fuerit duxerit, sed traxerit, significari, non
præire voluntatem, sed gratiam: *Traxe-*
rit eum, non enim ait, duxerit, ut illic aliquo
modo intelligamus præcedere voluntatem.
Quanta etiam secundùm gratiam ad nos
pars redundet, in Sermone quodam innuit:
Crede, inquit, & venis; ama, & traheris.
Dixit etiam in supradictum locum S. Joan-
nis: *Semel accipe, & intellige! non traheris?*
ora, ut traharis. ⁷

4. PROBABILISSIMUM est, alienatos à
Redemptore fuisse Hebræorum animos,
cùm observari ab iis voluit ex sanatis à se

decem leprosis unum venisse Samaritanum,
qui gratias persolveret. ⁸ *Non est inven-*
tus, qui rediret, & daret gloriam DEO, ni-
si hic alienigena. Sic etiam pupugit illos pa-
rabola de Patrefamilias, qui cùm primâ
luce multos conduxisset operarios, dièque
jam adultiore in quosdam, atque sub ve-
sperum in alios iterum desidiosos homines
incidisset, omnèsque ad laborandum in ea-
dem misisset: tamen cùm operas solvebat,
idem omnibus largitus fuit stipendium,
reportante tantundem eo, qui toto die,
quantum qui unâ solùm horâ æstivum rule-
rat. Quâ de re cùm primi expostularent,
ob oculos iis posuit, quàm nullo id jure
facerent, quia in eo, quod pactus fuerat,
defraudasset neminem; penèsque se esset,
quæ gratis erogaret, pro libitu atque ar-
bitratu suo dispensare. ⁹ *Volo autem &*
huic novissimo dare, sicut & tibi: aut non li-
cet mihi, quod volo, facere? Ait hic Augu-
stinus: *Fraudem tibi non feci, quia, quod pa-*
ctus sum, reddidi. Huic non volo reddere, sed
donare. Non licet mihi facere, quod volo, de
meo? Virtute meritorum Redemptoris ad-
missi fuere Gentiles, tardius multò acce-
dentes, quàm Hebræi, quippe qui tantò an-
tè Deum cognoverant. Paulò post ait:
Multi enim sunt vocati, pauci verò electi; id
quod postea reperitur, quando ipse de
nuptiali ejectus fuit convivio. Hic enim
verò advertit Interpres noster: ¹⁰ *Quo-*
modo projecto uno de multis, pauci electi, nisi
quia in illo uno multi? Omnes, qui terrena sa-
piunt ... ad illam civitatem pertinent, quæ
dicitur *Babylonia* ... (& sunt diaboli, id est
reprobati.) Omnes autem ... qui *Cælestia me-*
ditantur, qui cum sollicitudine in seculo vi-
vunt, nè Deum offendant; quos peccantes non
pulet confiteri, ad unam civitatem pertinent,
quæ Regem habet Christum, id est sunt ele-
cti. Aliàs itidem Judæis declaravit Redem-
ptor, pulsuros invanum illos fores Cæ-
li, atque ob sanguinis cognationem intro-
mitti petituros: quandoquidem passuri es-
sent repulsam; multis contrâ ex omnibus
terrarum partibus conflurur, admitten-
disque; ultimis evasuris iis, qui primi erant,
& primis, qui fuerant ultimi. Quando ipsis
significavit, *liberandos ipsos fuisse à veritate,*
si dictis suis morem gessissent, superbâ ex
iporum sanguine natâ, imperitâque per-
suasione, quod de libertate carnali, non au-
tem eâ, quæ produceretur à gratiâ, sermo
esset, effectum fuit, ut responderent: *Se-*
men Abrahæ sumus, & nemini servivimus un-
quam, quomodo tu dicis, liberi eritis? ¹¹ re-

(1) Joan. VI. 44. (2) ad Bonif. l. 1. Quod intelligitur credere in me. Utrum jam volenti credere pro
meritis bonæ voluntatis hoc datur? an potius, ut credat ipsa voluntas, sicut Sauli desuper excitatur? (3) Sermon.
131. n. 1. (4) v. 66. 67. (5) ad Bonif. con. 2. Ep. Pel. l. 1. n. 6. (6) Sermon. 131. n. 2. (7) in Jo.
Tract. 26. n. 2. (8) Luc. XVII. 18. (9) Marth. XX. 14. Sermon. 87. n. 4. (10) in Pl. LXI. n. 6. (11) Jo.
an. VIII. 32.

posuit Christus, servum peccati esse, qui peccat; filium quidem semper manere in aedibus; servum non item. Ac denique: *Si ergo vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*¹ Quae verba, ut ex Augustino discimus, non referuntur solum ad peccata praeterita,² quorum remissione liberamur; verum etiam propter adiutorium gratiae, quod, ne peccemus, accipimus.

5. Quod porro ad occultum DEI in nobis operandi modum attinet, id se satis ostendit intelligere Pater illius energumini, qui Christo dicenti sibi: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti,*³ plorans respondit: *Credo Domine! adjuva incredulitatem meam!* hoc est, fac me credere fide magis vivā, aufer à me internam adversus firmam fidem repugnantiam! Notari meretur benigna invitatio Servatoris: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* *Fugum meum suave est, onus meum leve.*⁴ Simile est, quod dixit ad discipulos: Cum trademini iis, qui potestatem habent, *dabitur enim vobis in illā horā, quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ubi monet Augustinus, ne id sinistrè accipiat: Neque enim, inquit,⁵ & hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis. *Adiutorium igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod, ut faciamus, facit.*

6. EDIXIT item Redemptor: *Beati eritis, si feceritis ea.* *Non de omnibus vobis dico; ego scio, quos elegerim.* Sciebat, inter electos ipsū auscultantes existere unum, qui suo vitio nullam in ulteriore electione habiturus erat partem; quia, ut eā quis gaudeat, necesse est, ut docet Augustinus, amare, & non tradere. *Qui enim diligunt, quia diligunt, eliguntur.*⁷ Dixit itidem Servator: *Sine me nihil potestis facere.* Item: *Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis; jam non dicam vos servos.* Deinde: *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, ut afferatis fructum, & ut, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Praeceptor noster in Joannem ait:⁸ *Neque enim jam credideramus in eum, ut eligeret nos; nam si jam credentes elegit, electos elegit.* (*) Et infra eodem modo: *Ingrate audi! non vos me elegistis; sed ego elegi vos.* *Non est, ut dicas: ideo electus sum, quia jam credebam; si enim credebam in eum, jam elegeras eum; sed audi: non vos me elegistis. Non est, ut dicas: antequam crederem, jam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est bo-*

*ni operis ante fidem? intellige cum merito vitae aeternae, uti saepius eum exponere videbimus.*¹⁰

7. S. JOANNES sub initium sui Evangelii docuit, Christum fuisse lucem veram,¹¹ quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In quae verba Augustinus:¹² *Illud, inquit, lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui DEO credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad ejus praecepta implenda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. Quod autem illuminat omnem hominem, uti exponit in alio opere,¹³ in corde illuminat.* Adjunxit Evangelista:¹⁴ *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri.*

DICEBAT insuper discipulis Salvator:¹⁵ *Petite, & dabitur vobis; quaerite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit &c.* In Sermone habito in monte oliveri:¹⁶ *Refrigescet charitas multorum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Praedicavit item: *Si diligitis me,¹⁷ mandata mea servate, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum.* Universam hanc doctrinam tribus verbis proposuit illi apud Matthaeum: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Jerusolymae exprobravit: *Jerusalem! Jerusalem! quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & noluisti?*

VII. Et videamus sanè in Evangelio, pravam nostram voluntatem omnium causam esse malorum: ad coenam illam, quam paratam dicit Dominus Lucae XIV. 16. nec omnes, inquit Commentator noster,¹⁸ qui vocati sunt, venire voluerunt... Itaque nec illi sibi debent tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: (quare primum meritum pender à vocatione) nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam, ut venirent vocati, erat in libera voluntate. (*) Hinc est, quod sustulerit Judaeis Servator causam obtendendi ignorantiam, declaraveritque ipsorum delictum planè esse à voluntate.¹⁹ *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Et iterum: *Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent.* Quem in locum Author noster: *Ideo... data sunt, (praecepta) ut homo excusa-*

Nos sumus causa peccati.

(1) v. 16. (2) Op. imperf. l. 6. c. 15. (3) Marci IX. 22. 23. (4) Marci XI. 28. (5) X. 19. (6) Ep. 194. n. 16. (7) in Jo. Tract. 76. n. 2. (8) XV. 5. (9) in Joan. Tract. 86. n. 2. (*) Ita legendum. (10) ibid. (11) Joan. I. 9. (12) de Gen. con. Man. l. 1. n. 6. (13) in Pf. XCIII. n. 4. (14) Joan. I. 12. (15) Matth. VII. 7. (16) XXIV. 13. (17) Joan. XIV. 16. 21. Matth. XIX. 17. XXIII. 37. (18) de Qu. 83. Qu. 68. n. 5. (*) Ita legendum. (19) Jo. IX. 41. XV. 22.

tionem de ignorantia non haberet.¹ Omnium instar esset fortassis locus ille Matthæi, ubi ait Salvator:² Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Maxime si accedat interpretatio Augustini:³ Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi DEUS facere arborem potest; sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala. Paulò post: Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, aut illud, ostendit esse in potestate, quid facerent; ipse securus, & certus in se tanquam DEUS, quia si bonum eligerent, præmium ejus acciperent; si malum eligerent, penam ejus sentirent: semper autem ille justus est, aut remunerator, aut damnator.

Ita & in Sermone in hunc locum:⁴ Quis autem à Domino bonus inventus est, cum Christus pro impiis mortuus sit? Omnes ergo malas arbores invenit, sed dedit potestatem filios DEI fieri credentibus in nomine ejus. Sit ergo unusquisque arbor bona... Muta cor, & mutabitur opus. Arque inde est, quod palam edixerit Salvator, se, cum apparuerit circumdatus gloriâ Patris, redditurum esse unicuique secundum opera ejus.⁵ Magni etiam momenti documentum dedit, cum dixit, primum & maximum mandatum esse: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; secundum autem simile esse huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; atque in his duobus universam legem pendere, & Prophetas. Hic S. Doctor: Quidquid ergo⁶ lege DEI prohibemur, & quicquid jubemur facere, ad hoc prohibemur, & jubemur, ut duo ista compleamus.

2. NON protulimus hic effata quædam in speciem duriora, quæ habentur in Evangeliiis, propterea quod meræ repetitiones sint, relationesque eorum, quæ extant in veteri Testamento, quæque, quam in partem intelligenda sint, jamtum vidimus. Precamur Deum in Oratione Dominicâ, ut nos non inducat in tentationem. Sed id intelligitur, ne nos inferri deserendo permittat. Hæc quidem Augustinus,⁷ addens cum D. Paulo: Non permissum Deum, ut tentemur supra id, quod possumus. Alio in loco interpretatus est, cum oramus, ne inducamur in tentationem, Divinam à nobis implorari perseverantiam:⁸ Quid enim aliud, ait, quam ut in sanctitate perseverent, precantur? Ippo ergo concessio sibi dono DEI, ne inferantur in tentationem, nemo Sanctorum non tenet us-

que in finem perseverantiam sanctitatis. Eodem etiam libro exposuit: Cum dicimus DEO, ne nos inferas &c. quid dicimus, nisi, ne nos inferri sinas. Quid? quod observat, lectum fuisse ita in pluribus Codicibus, sicque legisse D. Cyprianum. Advertit præterea, non intelligi id de tentationibus omnibus, quod utilis sit tentatio, si modò non succumbimus, & tum tentari & in tentationem inferri (*) non est malum; immo etiam bonum est: hoc est enim probari.

3. EXPLICATIUS tamen atque distinctius hic referemus locum aliquem, qui quidem cæteris difficilior videatur ob ea, quæ adjunxit S. Joannes. Ait itaque primum: Judæi non credebant in eum, ut Sermo Isaie Prophetæ impleveretur... Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaïas: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.⁹ Referemus commentationem Patris nostri, qui locum hunc ex instituto discussit Tractatu in Joannem:¹⁰ Obmovebant nonnulli: Quid fecerunt Judæi? &c. si necesse erat, ut Sermo Isaie Prophetæ impleveretur? Atque inde conficiebant, præscientiam DEI necessitatem homini inducere. Quibus, inquit ipse, respondemus, Dominum præscium futurorum prædixisse infidelitatem Judæorum, prædixisse autem, non fecisse. Non enim propterea quinquam DEUS ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit: ipsorum enim præscivit peccata, non sua. (Sua quippe essent, si ad ea committenda quâdam illos ratione induceret.) Quapropter si ea, quæ ille præscivit ipsorum, non sunt ipsorum, non verè ille præscivit; sed quia illius præscientia falli non potest, sine dubio non alius, sed ipsi peccant. Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos non compulsi facere, cui peccatum non placeret. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur; & hoc facturi præviderentur ab eo, qui novit, quid sit quisque factururus, & quid sit pro ejus opere redditurus.

4. AD alterum ait: Dicitur etiam nobis: si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis, quod non potest facere? ad quod responderet: Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, & non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Evangelium, propterea non poterunt credere, quia iterum dicit Isaïas: excæcavit oculos eorum, & induravit cor. Ad hanc quæstionem, scilicet: non poterant credere, quia hoc Isaïas prædixit; responderet: Hoc autem Prophetæ prædixit, quia Deus hoc futurum

Explicatur
tur quedam
loca diffi-
cilia.

(1) de Grat. & lib. Arb. n. 2. (2) Matth. XII. 33. (3) Act. cum Fel. l. 2. c. 4. (4) Serm. 31. n. 2. 4. (5) Matth. XVI. n. 27. XXII. 37. 40. (6) de perf. Just. n. 11. (7) Aug. Ep. 157. n. 16. (8) de Don. perf. n. 9. 12. (*) perperam legitur in editis: non inferri. (9) Joan. XII. 38. (10) Aug. in Joan. Tract. 53. n. 4. 5. & seqq.

esse praescivit. Quare autem non poterant, si à me queratur, citò respondeo, quia volebant: malam quippe eorum voluntatem praevidebat Deus, & per Prophetam praemuniavit. Omni hic difficultate sophistica sese expedit S. Doctor, praecipuum hoc fundamentum statuens: fuisse verum atque unicum fidei impedimentum illorum perversam voluntatem. At aliam causam, inquiebant, dicit Prophetam, cæcitatem nimirum, & obdurationem profectam à Deo. Noluisset scilicet Deum majori atque extraordinariâ gratiâ ipsorum superare repugnantiam. Respondet: Etiam hoc eorum voluntatem meruisse... Sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deferendo, & non ulterius adiuvando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest; posteaquam nempe aliis id peccatis promeruit voluntas. Vidimus, ut doceat Augustinus de Pharaone, dubium non esse, quin mala præcesserint merita, cum homines obdurat Deus: Nolite dubitare,¹ præcessisse mala merita &c. subdit Vir Sanctus:² Si quis autem istam questionem liquidius, & melius novit se posse, & confidit exponere, absit non sum paratior discere, quam docere. Tantum ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere, ut nobis Orationem, quâ dicimus: Ne nos inferas in tentationem, conetur auferre: rursum ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum. Accusatur deinde Pelagianos, qui supponentes non opus se habere gratiâ dicebant: Ut quid rogamus Deum, ne vincamur à tentatione, quod in nostra est potestate? Accusatur pariter eos, qui obviâ quâvis de causâ liberum inficiantur arbitrium; quoniam hoc aliud non sit quam omnem à se culpam in necessitatem amoliri. Produunt se hic denuo modi loquendi familiares Hebræis: quia orare Deum, ne superemur à tentatione, in Oratione Dominicâ Syriacè à Salvatore prolata exprimitur per orare Deum, ne nos inducat in tentationem.

5. PROSEQUENS Commentationes suas, premensque adhuc Pelagianos: Non possunt, inquit, credere in Christum, qui tam superbe sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium Divinum adiutorium ad bene vivendum;³ ostendit deinde, non posse credere eum, qui, quo loco Divinam revereri debebat virtutem, suam superbe agnoscat. Hinc, ait, & illi non poterant credere: non quia mutari in melius homines non possunt; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere. Hinc excæcantur, & indurantur, quia negando Divinum adiutorium non adiuvantur. Cum ait, posse quidem illos mutare mentem, at non quamdiu ita superbe

ac impie sentiunt, declarat denuo eadem, quæ dixerat supra, non posse nimirum, quia non volunt. Observat deinde occæcationem fortassis ipsorum bono fuisse permissam. An forte & hoc de supernæ medicinæ misericordiâ factum intelligendum est, ut quoniam superba, & perversa voluntatis erant, ad hoc defererentur, ut excæcarentur, ut offenderent... atque ita humiliati quærent nomen Domini. Ex quo etiam discimus ex mente Augustini, ne obcecatis quidem, induratis, & derelictis sublatam esse ad Deum recurrendi, ejusque opem implorandi facultatem. Quare juxta ipsum nemo, quoad vixerit, semper, atque omnino derelictus manet.

6. LOQUITUR de loco jam dicto Augustinus, etiam dum commentatur verbum illum Matthæi:⁴ Et oculos suos clausurunt, ne quando oculis videant; id est, ut ipse exponit, ipsi causa fuerunt, ut Deus eis oculos clauderet; alius enim Evangelista dicit: excæcavit oculos eorum. Quibus verbis docet, quod dicere, Deum eos occæcasse, idem sit secundum phrasin Scripturæ, quod, uti est apud Matthæum, ipsos oculos suos clausisse. Subjicit deinde: Sed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse. Ac demum per τὸ non poterant credere intelligi ait, ideo excæcatos, ut converterentur, hoc est ideo eis per obscuritates parabolarum occultatas sententias Domini, ut post ejus resurrectionem salubriore penitentia resipiscerent. Quæ etiam Commentarii instar esse possunt in illud Marci:⁵ Illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut videntes videant, & non videant &c.

7. Es r & alius locus difficilis in Joanne, respondens ei, quem haftenus excussimus:⁶ Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Verum omnem submovet difficultatem Augustinus:⁷ Jam supra, inquit, didicistis, quæ sint oves. Oves credendo sunt, oves Pastorem sequendo sunt, oves Redemptorem non contemnendo sunt &c. Dixit autem iis Christus, non esse has de suis ovibus: quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos. Agnoscebat inutile futurum ipsis tanti pretium sanguinis, quia peccata eorum in causâ erant, cur ad supplicium fuerint destinati; neque ovibus suis accenseri voluere credendo, Pastorem sequendo, Redemptorem æstimando. Subjicit tamen Sanctus: Novit Dominus, qui sunt ejus, & quos præscivit, ipsos & prædestinavit &c. Docuerat enim prius, quod de his, qui prædestinati sunt, & à viâ detexere, errorem... præsciverit Deus, & conversionem futuram.⁸

(1) de Grat. & lib. Arb. n. 43. (2) in Jo. Tr. 53. n. 8. (3) in Jo. Tract. 12. n. 10. (4) in Matth. Qu. 14. (5) Marci IV. 11. (6) Jo. X. 26. (7) in Jo. Tr. 48. n. 14. &c. (8) Tract. 45. n. 13.

Addidit eodem loco: *Si aberravit, redit, ut audiat illam vocem Pastoris. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Nam facile est audire Christum, facile est laudare Evangelium at perseverare usque in finem, hoc est ovium vocem Pastoris audientium. Tentatio accidit: persevera usque in finem, quia tentatio non perseverat usque in finem.*

8. CUM etiam legatur in sacro textu, quod Pastor bonus¹ proprias oves vocet nominatim, & educat eas; pergit Commentator:² *Quis enim alius oves proprias vocat nominatim, & educit eas hinc ad vitam eternam, nisi qui novit nomina prædestinatorum?* Coniungi hic locus debet cum illo, quo exponens illud Joannis: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, docet, ut³ parentur istæ mansiones, vivere debere justum ex fide &c. Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur; creditus desideretur, ut desideratus habeatur; desiderium dilectionis præparatio est mansio-

nis. Quantum quisque fuerit particeps tui, alius minimis, alius amplius, hæc erit diversitas præmiorum, pro diversitate meritorum. Retulerat paulo antè locum S. Matthæi, ubi Christus loquens de prædestinatis affirmat, dicturum se illis in die Judicii:⁴ *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, omniaque mihi exhibuistis officia pietatis. Damnatis ex adverso dicet: Ite in ignem æternum; quoniam pietate, & misericordiâ erga miseros, & mendicos usi non fuere.* De hoc loco sæpe loquitur Augustinus:⁵ *Percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi. Quando enim opera vestra in thesaurum mittebatis, regnum Cælorum emebatis.* Idem alibi à Sancto repetitur. Nihil tamen prohibet, quominus emptio hæc in se & radice spectata opus sit misericordiæ, donumque gratuitum; quemadmodum aliis in locis ostendit.

(1) Jo. X. 3. (2) n. 14. (3) in Joan. Tr. 68. n. 3. (4) ibid. n. 2. Ad dexteram stanti dicetur &c. Matth. XXV. 34. n. 41. *Hic, qui à sinistris erunt, discedite &c.* (5) Serm. 18. n. 4.

LIBRI PRIMI FINIS.

HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER II.

Quo refertur Divi Pauli Epistola ad Romanos, locis quidem obscurioribus ex Commentariis Augustini elucidatis.

I. DILIGENTIUS expensæ hæres fuere à morte Salvatoris; dum multiplicatâ unâ cum Apostolorum muniis prædicatione variis cœpit in locis cum Gentilibus fides communicari. Cum Paulus, & Barnabas Antiochiæ Pisidiæ conciones habebant, crediderunt, ait Lucas secundum Vulgatam, Act. XIII. 48. *crediderunt, quorquot erant præordinati ad vitam æternam.* S. Augustinus, qui sæpe refert hunc locum, semper ait: *ordinati*; poscente id autographo Græco (*) & versione antiquâ, quâ uti consueverat. Respicere huc videri possint ea, quæ scribit, dum in effati illius: *Multi vocati &c.* sensum inquirens, tanquam modum aliquem id explicandi adfert, si dicas:¹ *Multi vocati, pauci electi; ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiende reperiuntur idonei.* Ulteriore tamen voci huic: *ordinati*, significationem dedit, dum inquit:² *Qui ordinati sunt in vitam æternam eorum nullus perit; item: Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono?*

2. SUPRA dicti Apostoli Judæorum pervicaciam perfringebant his verbis:³ *Vobis*

oportebat primum loqui Verbum DEI; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. Sic protomartyr Stephanus ipsi antè dixerat:⁴ *Dura cervice! ... vos semper Spiritui Sancto resistitis! Quem locum cum fortè pertraheret Interpretes noster, docuit: quod gratiæ Divinæ, & ejus paci resistere idem sit, quod perseverare in nequitia, & de DEI clementiâ desperare:*⁵ *licetque hinc advertere, etiam ipsis Judæis, qui magnam illam protulerant blasphemiam, non fuisse clausum corrigendi se, & penitendi locum, quod idem Dominus in eâ reprehensione ait illis: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Quod utique nullâ ratione diceretur eis, si propter illam blasphemiam jam commutari in melius, & rectè factorum fructus generare non possent.*

3. NIHIL tamen hæc in materiâ ita celebre est, atque S. Pauli ad Romanos, seu ad orthodoxos illos Hebræos, & Gentiles, qui Romæ degebant, Epistola. Ad cujus sensum ritè assequendum frequentius multò, quàm hæctenus, Interpretis nostri operâ indigebimus. Extollit initio Apostolus ipso-

Poterant
Fulci ali-
stinnere à
peccato.

(*) *πολλοὶ κλητοὶ, non πολλοὶ ἀποκρινόμενοι, nec ἀποκρινόμενοι.* (1) ad Simpl. l. 1. quæst. 2. n. 13. (2) de Corr. & Gr. n. 21. (3) Act. XIII. 46. (4) VII. 51. (5) Expof. inch. Ep. Rom. n. 22.